



COMITATVS hic VValdecensis partem capit Hassiæ, eamque frugiferam, & varijs ac permultis fluuijs irriguam, quorum præcipuus est ac famosissimus qui Edrus appellatur, ipsusq; piscosus admodum est. quin & aurifer esse prædicatur. post hunc autem Dimilus, Tuistius atque Aris, quos Vrbis sequitur atque Ithrus. Vini ac frumenti ferax est hæc regio. Habet & argenti metalli argenti viui, plumbi & alumnis fodiñas. Loca eius celebriora sunt vrbs W. l. d. e. c. f. cum arce in ea sita, quæ metropolis est regionis, vnde nomen suum comitatus adeptus est. post hanc Altinchusium. Dudinchusium, vrbs Landauia cum adiuncta arce, ac ciuitas Mergerhusia, quæ similiter arce firmata est & decorata. in qua etiam Comitum sedes esse solet, duobus à Valdecchia miliaribus distans hinc & Rhodena vrbs cum arce sua, cuius venationibus crebris celebre est territorium. V Vetreburgum arx est, loco admodum amœno sita, inter Tuistium videlicet & Arim fluuios. Vildungia vrbs est, Meridiem versus vnico miliari distans à VValdecchia; neque veteri tantum nouoque discreta nomine, sed situ etiam atque loco. Apud eandem urbem multi sunt metallici, fodinæque permultæ, ex quibus magna vis auri, metalli ac ferri quotidie eruitur. fontes etiam acidos aliquot vicinia ista habet. præstantissima quoque cereuisia V Vildungia coquitur; in tota namque regione haud ei similis reperitur. Eisenburgum arx est, cuius fundus, quemadmodum etiam VValdungiensis, auri ac ferri prouentu felix est. In eodem loco & lapides isti carbonarij effodiuntur, quos lithanthraces, Germanicè Steinfelsen vocant, non fabris ferrarijs tantum in officinis suis vtilis, sed qui etiam in domesticis focis lignorum ac carbonum vice esse possint. Eilhusium Septentrionem versus tribus à VValdeca miliaribus distans. arx est. quod ad situm eius, spectabilis satis, quam Vrbis flu. mediam interluit. Corbachium vrbs est satis munita Neoburgum arx est adiuncta ciuitate. Ithra arx est: VVerba autem cœnobium. Qui hanc tabulam primus descripsit & edidit, Iodocus Moers à Corbach duos nobilium ordines sub Comite VValdecchio enumerat, vnum liberum intra Comitatum commorantem; alterum tam extra quam intra Comitatum feudo Comiti astrictum. Hos ergo ordines, cum nihil præterea habeam; hic adnumerabo; & quæ illorum domus tabulæ insunt, indicabo; Stemmata Nobilium liberorum intra Comitatum sunt Birmunt/Meissenburg/ Gogeben/Zerzen/Volmerichhausen/Dalwig/Eppe/Rodehausen/Reen/Schonstadt/Herklinghausen/Twist/Hanytleden/Greismar/Roman/Dorfelt. Stemmata feudatiorum tam extra quam intra Comitatum sunt Wirstein/Rnit esel/Spiegel/Ealenberg/ Westfal/Canstein/Walspurg/Lebenstein/Wengerson/Meschede/Deinenburg/Papenheim/Wulst/Volckenberg/Juden. Quod ad dignitatem officij Imperialis attinet, inter quatuor seruos seu milites Imperij Comitatus hic primus numeratur, sunt enim: Waldeck/Hirten à Fulchen/Arnsperg/Rabonaw. Ab Oriente Comitatus hic Hassia terminatur, à Septentrione Episcopatu Paderbornensi, Occidentior autem pars diocesim respicit Coloniensem.

COMITATVS WALDECK ACCVRATE DESCRIPTVS

Comitatus hic Waldeccensis
partem caput Nisiar, camque frugiferam
ac flumina permixtis irriguam, quae pre-
cipue est Ederis satus piscibus, quoniam et au-
rifer esse predicatur. Vini ac frumeticifera
est hanc regio, habet et argentum, meta-
llum, argentum, plumbum, et aluminis sedulas
fuit et etiam acidos habet. Prope Eshenbu-
rgum arcem lapides isti carbonarii quoque
effunduntur. Dico hanc, a metropoli in ea ad
Nisiar confluam sita nomen retinens, inter
superiores primas tenet, habetque sub
se complures Nobilium ac Feudatiorum
familias.



